## *Praefatio.*

QUantum vtilitatis praeſtet, quem ſedimus, liber, adeo notum prouocatumque eſt, ut non egeat demonſtratione. Etſi vero tam eximium Hieronymi monumentum verbis adornare nec poſſim, nec debeam; ſunt tamen, quæ praefari oportet, ut laboris, quem ſumſimus, ratio non ignoretur. Cum libellum nouæ luci pararem, inquirendum exiſtimaui, vbi codices manu exarati deliteſcerent. Intellexi autem, praeter decem illos, quos in ipſo opuſculo laudauimus, paſſim alios reperiri, eosque vetuſtos ac bonae notae. Inter hos annumerandus eſt longe antiquiſſimus, Saxonicis literis exaratus, qui Neapoli bibliothecam Auguſtinianorum monachorum, in Coenobio S. Ioannis de Carbonaria, exornat. Huic iungendus eſt, quem doctiſſimus Mabillon apud Piſas in cathedralis eccleſiæ bibliotheca vidit, ac Caroli Magni aeuo putat exaratum. Habetur & Patauii in cathedrali eccleſia codex manuſcriptus, de quo mihi non conſtat, an alicuius ſit pretii & vetuſtatis. Mediceos codices haut ſcio, an quisquam ſit, qui ignoret. Seruatur & noſter hicce libellus a monachis Benedictinis

*Mabillon. Muſ. Ital. p. 1. p. 110.*

*Ibid. p. 185.*

*Thomaſinus in catal. bibliotheca Patauin. MSS. p. 7.*

ctinis in Monsee, quod nuper ex bibliothecae catalogo didicit vir clarissimus, & in his literis praeclare versatus, Matthias Fridericus Beckius, Augustae Vindelicorum pastor aedis, quae Spiritui sancto consecrata est. Audio quoque, Henricum Ernstium libellum hunc ad fidem codicum MSS. reuocasse, notisque illustratum emittere in lucem voluisse; sed expiscari non licuit, in quem angulum proiecta sint doctissimi viri manuscripta. De Belgicarum bibliothecarum codicibus nulla me tenuit altior sollicitudo, quod vir clarissimus, Daniel Papebrochius, mihi significasset, Belgica manuscripta consulta esse a Miraeo, edente ecclesiasticam bibliothecam. His igitur destitutus alios in subsidium vocaui codices, in quibus vnus bibliothecae Augustae Guelpherbytanae prae caeteris fert antiquitatis laudem. Huius usum mihi indulgere dignatus est potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus ANTONIVS VLRICVS, Brunsuicensium ac Luneburgensium Dux, Princeps ac Dominus meus indulgentissimus, per quem studiis literarum prospera omnia, digneque tanti Principis seculo contingunt. Contuli igitur impressos codices cum manuscriptis, dedique operam, ut nihil temere immutarem. Praecipue vero ab Erasmi editionibus secessionem raro feci, atque coactus, quod scirem, hunc ut barbaro aeuo propinquum, ita melioris notae codicibus instru-

ſtructiſſimum fuiſſe. Si quæ tamen ſollicitauimus, eius rei ex intemeratae fidei monumentis rationem uidemur reddidiſſe. Coniecturis vſus ſum pene multis, non vt vel vnicam in textu voculam loco mouerem, ſed vt obſcuriora notis, quas ſeorſim exhibeo, illuſtrarem. Vſus ſum & libertate, ſed modeſta, vt tamen nihil mihi prius eſſe fide putarem. Caſtigationes textus plerumque robur ex Euſebio trahunt, e cuius eccleſiaſtica hiſtoria pleraqve huius libelli capita hauſit Hieronymus. Itaque ſaluberrimum fuit conſilium, quod mihi Angliae literatae decus, Guilielmus Caue, ſuggeſſit de verbis Euſebii, e regione Latini textus collocandis: de quo nobis nondum conſtabat, cum textus Hieronymi excuderetur. Adieci autem diſſertationem praeliminarem, nec non Eraſmi, Victorii, Grauii atque Miraei notas, omiſſis Suffridi Petri ſcholiis, in quibus nihil ſcitu dignum eſt, quod illis non ſit obſeruatum. Fecerant mihi notarum ſuarum ſpem viri clariſſimi, Tentzelius & Fabricius; ſed hac quidem in re votorum meorum ſummam non ſum conſecutus. Ille enim ob longius iter, quod ceperat, non potuit perficere; hic uero miſit lucubrationum ſuarum partem tantum priorem, quod libellum noſtrum his nundinis proditurum neſciret. Quoniam igitur non potuit fieri, quod uolebam, id uolui, quod poſſit, atque breues illas, ſed doctiſſimas Fabricii notas inſerui,

donec reliquas, iuxta cum Tentzelianis, Gennadii de viris illustribus libro liceat subiicere. Gennadium enim, & deinceps quinque reliquos, qui vocantur, veteres de ecclesiasticis scriptoribus nomenclatores ordine recensebo: quod olim facturus erat vir summe reverendus, D. Fridericus Vlricus Calixtus, Regiae Lutterae Abbas, Theologorum evangelicae ecclesiae, nec non academiae nostrae Senior, qui grauioribus curis obrutus lampadem mihi tradidit, ac copiam fecit insignium librorum, quos in hunc usum collegerat. Itaque in Gennadii editione supplebimus, quæ nunc cogimur præterire. De vita Hieronymi, quod alias fieri solet, non exposuimus, quum Erasmus, Victorius, Rosvveidus aliique id dudum praestiterint. Monere tamen hoc loco visum, Hieronymi vitam, quae ab Erasmo tomo II inserta est, autorem agnoscere Ioannem Andream. Extat enim in Paulina Lipsiensi exemplum libri typis excusum, in cuius fine haec comparent: *Expl. Hieronomynianus domini Iohannis Andreae decretorum doctoris famosissimi in deuotione glorioſi Hieronymi singularissimi, in eiusdem laudem editus. In quo Hieronymi vita: facta: dicta: atque prodigia: ultra hujus vitæ mortales perscrutatus est. Consummatus anno Dni M CCCC LXXXII. nona die Augusti.*

*Exstitit autem publicatum hoc opus anno Domini M CCCXLVI. paulo ante obitum Iohannis Andreae, qui obiit anno Domini M CCCXLVIII. 8. die Iulii.*

Quod

Quod vero spectat ad epistolas de laudibus Hieronymi, quas ibidem refert Erasmus; videntur illae antiquiores Andreae labore. Est enim penes me codex Guelpherbytanus, in quo longe meliores habentur, atque a fabulis plerisque immunes. Vt specimen lectori exhibeamus, epistola Augustini ad Cyrillum non inscripta est de magnificentiis, sed de laude beati Hieronymi. Deinde statim a principio inepta verba, quae in editis habentur, desunt usque ad illa: *Quam magnus*; quibus verbis fictitius Augustinus in codice epistolam orditur. Sed & finis longe rectius, quam in impressis, habet: *Magnificemus ergo dominum in sancto suo, magnificemus opera sua, quæ patefacta sunt, nec est in eis iniquitas.* De patria Hieronymi in his epistolis nihil reperio, quam nemo clarius memoriæ prodidit, quam ipse Hieronymus. Itaque mirari subit, doctissimum della Croce nuper eam nobis minutius, quam ab Vghellio factum est, ac digito quasi ausum esse demonstrare. Nec, credo, Hieronymum Aquileiae sacro fonte susceptum satis probauerit hac inscriptione, quam in Aquileiensium primario templo sibi visam ait: DIVO HIERONYMO QVI IN HAC SANCTA ECCLESIA LAVACRVM GRATIAE SVSCEPIT ET FIDEM.

*Histor. Della Città di Trieste L. VI. c. 1. §.*

Coecus

Coecus sit, qui inscriptionem sequioris aeui esse haut agnoscat. Sed trahit sua quemque credendi voluptas. Scrib. Helmstadii in Academia Iulia CIↃ IↃCC XXII Sept.